



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 23. Lotharingius, & Madrutius Cardinales ad concinnandos Canones  
deputati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

runt, quapropter negotium dedere Ca-  
staneæ, Boncompagno, Facchinetto,  
Paleotto, & Castello, ut quatuor hæc  
dubia discuterent, quorum etiam re-  
sponsum communicabatur Lotharingio  
Cardinali, qui re cum Oratoribus col-  
lata eos rogabat, ut sua auctoritate  
apud Legatos, & Gallos Præfules con-  
cordiam promoverent, atque tam hi,  
quam isti quicquam de suis petitis re-  
mittentes ad mutuam pacem concur-  
rere vellent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

### §. XXIII.

#### *Lotharingius, & Madruti Cardi- nales ad concinnandos Cano- nes Deputati.*

Interea Legati feria secunda die deci- *Pallav. c. 14.*  
ma octava Januarii habito Patrum *num. 1.*  
Conventu Lotharingium, & Madru- *Psal. p. 364.*  
tum nominabant, ut decretum circa *& 365.*  
residentiam conficerent, data eis facul- *Sarpinus l. 7.*  
*pag. 638.*  
tate alios etiam Synodi Episcopos in  
laboris socios advocandi. Id omnibus  
placuit, nisi quod Antonius Ciuxelia,  
Barenensis, Episcopus Buduensis, more  
suo contradiceret, inquiens, Cardina-  
les non admittendos esse ad conficien-  
dum de residentia decretum, cum ipsi  
non resideant: verum nullus omnino  
ejus querelæ deferebat, quo circa alio-  
rum Patrum sententia exquirebatur:

*Hist. Eccles. Tom. XLVI. D ubi*

**Sæcul. XVI** ubi inter ceteros primi verba faciebant  
A.C. 1563 Petrus Danesius Episcopus Vaurenensis,  
 & Hieronymus Claravallensis Abbas  
 porro Vaurenensis, qui ob adversam vale-  
 tudinem jam dudum a Patrum congres-  
 fibus aberat, ex Sancti Cypriani, Am-  
 brosii, & Augustini testimoniosis compro-  
 batum ibat, quod residentia Episcopo-  
 rum ex jure Divino sit sancta, ac Christus  
 Dominus Episcopos unice, ut gre-  
 gem pascerent, instituerit, id vero mu-  
 nus absque residentia exercere non pos-  
 sent, adeoque declaranda esset hæc  
 veritas, ut tollatur omnis dispensandi  
 occasio circa jus divinum: neque pro-  
 pterea derogari inquiebat auctoritati  
 summi Pontificis, cuius est interpre-  
 tari jus divinum, insuper ajebat, quod  
 id non ita arcte accipiendum sit, quin  
 abesse possit Episcopus, si id suadeat  
 sui gregis utilitas, & alia caussa legi-  
 tima quandam a sua Diœcesi absentiam  
 depositat, prout insinuasset Lotharin-  
 gius Cardinalis. Postea sententiam  
 suam Claravallensis Abbas edixit, de-  
 monstrans, quod præceptum divinum  
 pascendi per se gregem suum sit cha-  
 ritatis, non justitiae, id tamen satis  
 non intellectum est: allegabat tamen  
 multa incommoda, si Episcopi perpetuo  
 re ipsa residere tenerentur, præsertim si  
 ad id quoque Principes Imperii adstrin-  
 gerentur. §. XXIV.